



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Acta inquisitionis à Iohanne XXII. institutæ adversùs Petrum de Palude
ordinis Prædicatorum, cum responsionibus ejusdem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688



*ACTA INQUISITIONIS
à Iohanne XXII. instituta adversus
Petrum de Palude ordinis Prædicatorum,
cum responsionibus eiusdem.*

Anno Domini millesimo tricentesimo decimo octavo, die prima mensis Iulij, primæ indicationis, sanctissimus in Christo pater & Dominus noster Dominus Iohannes providentia divina Papa XXII. cùm fecisset ad suam evocari præsentiam fratrem Stephanum de Nereyo de ordine fratrum Minorum, quem fratrem cum nonnullis aliis ipse Dominus noster ad partes Flandriæ miserat, ad Comitem videlicet & ad certas communitates partium earundem, pro quibusdam exponendis inibi negotiis, quæ quidem negotia seriøsè in litteris papalibus exinde fratribus ipsis traditis continentur, volens ipse Dominus noster scire plenariam veritatem quid inde fecerant, & si ipse frater vel alij commissarij injuncta sibi compleverant, & si aliqua omiserant quæ proponenda fuissent, aut quæ tacenda forent forsitan expressissent, eidem fratri Stephano præcepit & injunxit expressè, recepto priùs ab eodem ad sancta Dei evangelia corporali juramento, sub virtute sanctæ obedientiæ ac juramenti præfati, necnon & sub excommunicationis pœna, quam tulit in eum si subtriceret veritatem aut exprimeret falsitatem, cujus absolutionem sententiæ præfatus Dominus noster sibi & ejus successoribus præterquam in mortis articulo reservavit. Qui quidem frater Stephanus sic juratus & interrogatus deposuit in hunc modum,

Vide Odor.
Raynald. ad
an. 1318. §.
20.

Coram Comite Flandriæ & consilio ejus quinto die mensis Maij in Cortraco Magister Petrus de Palude Magister in Theologia dixit duo; primum, quòd differentia est inter monitionem & admonitionem. Monitio verbum est juris, admonitio caritatis; & ideo post monitionem potest ferri sententia, sed non post admonitionem. Commissio autem nostra, ut dicebat, monitionem non includebat, sed admonitionem, & ideo non oportebat eos verba nostra timere, quia post talem admonitionem non poterat dari contra eos aliqua sententia. Idem dixit Brugis in congregatione illorum de Franco.

Secundò, coram prædicto Comite & consilio ejus, super eo quòd Papa dicebat in littera nostra quòd conditio Flandrensium per ultimam pacem melior erat facta, dixit sic. Videtur mihi quòd est unum propter quod debetis multùm ad pacem istam servandam moveri. Totus mundus dicit quòd usque nunc de guerra vos habuistis honorem. Insuper totus mundus scit quòd Rex insequitur vos de pace, & quòd vos fugitis eam. Ergo pro certo, si vos acceperitis consilium istud, per quod potestis habere pacem, vos habebitis apud omnes homines gratiam & honorem.

Item decima die Maij, congregatis Scabinis, Consiliariis, & procuratoribus villarum Flandriæ Brugis in domo Comitis coram Comite & ejus consilio, voluit & consuluit quòd simul & semel illa die redderemus omnes litteras nostras; sed nos ambo focij sui restitimus sibi.

Item eadem die coram prædictis Dominus Bauduinus de mandato, ut dicebat, Comitis & omnium prædictorum de nobis conquestus est in generali quia servabamus in terra illa sententiam interdicti, & in speciali de Magistro Petro, qui se

deuestiverat indutus sacerdotalibus propter præsentiam aliquorum Flamingorum. Item quia, ut dicebat, idem magister Petrus aliàs prædicaverat Parisiis Flamingos esse excommunicatos, & quòd æquè licitum erat & meritorium contra Flamingos arma movere sicut contra Sarracenos.

Ad prædicta dictus magister Petrus respondit sic. Multùm gaudeo quòd hæc mihi publicè opposuistis, quæ jam mihi ad partem dicta fuerant, quia per hoc dedistis mihi occasionem sive materiam excusandi.

Primum casum de Missa confiteor, quia negare non possum. Veruntamen factum excuso per quatuor rationes quæ sequuntur. Prima talis est. Certum est aliquas sententias excommunicationis & interdicti contra Flamingos latas fuisse, sive bene, sive male. Item certum est vos ab eisdem sententiis appellasse. Vos igitur habetis pro scuto appellationem vestram, per quam tuemini & defendimini à sententiis suprascriptis, & ideo bona conscientia potestis audire & celebrare in hac terra divina. Ego verò scutum vestrum non habeo, quia nec appellavi, nec appellationibus vestris adhæsi; nec vos potestis scutum vestrum mihi tradere; & ideo non possum in terra vestra divina cum bona conscientia celebrare.

Secunda ratio talis est. Iura volunt quòd si aliquis denuntietur excommunicatus in aliqua parochia, sive justè, sive non, illi soli tenentur eum vitare qui sunt de illa parochia & audierunt illum denuntiari excommunicatum. Alij verò de alienis parrochiis non tenentur, quia quòd iste sit excommunicatus non tenentur credere nisi proprio sacerdoti. Ego igitur, qui eram Parisius quando sententiæ læ fuerunt, teneor eas servare. Illi verò qui tulerunt sententias bene caverunt sibi

quòd non venerunt in Flandria ad sententias huiusmodi proferendas. Et ideo illi de Flandria servare non tenentur, immo cum bona conscientia audiunt & celebrant divina.

Tertia ratio talis est. Quòd si aliquis sit diffamatus percussisse Clericum, etiamsi falsò sit diffamatus, illi qui sciunt illum esse diffamatum, nec sciunt utrum verè vel falsè, tenentur illum vitare. Illi verò qui certi sunt quòd falsò est diffamatus, & certi sunt quòd Clericos non percussit, non tenentur eum vitare. Nunc ita est quòd in Francia, in qua habito, fama est quòd aliqua sententiæ contra Flamings & Flandriam latae sunt, de quibus ego dubito an justè vel non latae sunt; & ideo servare debeo, quia adhuc dubito, & sententiam super hanc Domini Papæ expecto. Vos verò, qui certi estis dictas sententias non valere nec vos ligare & injustè latas esse, eas non tenemini servare.

Quarta ratio talis est. Iura innuunt quòd ubi sunt variæ opiniones, si aliquis uni earum adhaereat, etiamsi erronea sit, si contra faciat, peccat. Nunc ita est quòd de huiusmodi sententiis inter vos Flamings & Gallicos variæ opiniones sunt. Ego autem adhæseram opinioni Gallicorum; & ideo videbatur mihi sic faciendum, Vos autem, qui alteri opinioni adhæstis, non tenemini.

Ad secundum quòd mihi objectum est de sermonibus quos feci Parisius, adjungo tertium quòd mihi etiam impositum est, ut mihi dictum est ad partem, quòd debui etiam dicere, videlicet quòd æquè licitum erat Flamings sic excommunicatos interficere sicut canes, quòd dictum de se est hæreticum, quia anima canis non est redempta Christi sanguine, nec pro ea Christus mortuus est, sicut pro animabus Flamingsorum. Et ideo dico sim-

placiter nunquam hoc me dixisse nec etiam prædicasse; & si dixissem, tanquam dictum hæreticum revocarem. Quod autem secundò dicitur, quòd dixi quòd æquè licitum erat contra Flamingos arma levare sicut contra Sarracenos, eodem modo dico hoc dictum de se esse hæreticum, cum Flamingi veri & fideles Christiani sint, Sarraceni verò adversarii fidei Christianæ. Et ideo dico me nunquam in prædicatione vel aliàs hoc verbum dixisse; immo si dixissem, tanquam falsum & hæreticum revocarem. Super hoc verò quod tertio dicitur quòd in sermonibus meis aliquando asserui Flamingos esse excommunicatos, simpliciter nego impositum, & assero me nunquam dixisse assertivè Flamingos esse excommunicatos. Possibile tamen est quòd ego dixi aliquando aliquas sententias contra eos per Prælatos aliquos esse latas; sed nunquam asserui quòd illæ sententiæ ligarent Flamingos, cum hujus rei veritas non ex mea sed ex Domini Papæ determinatione dependeat, cujus determinationem expecto. Et utinam vos per eas determinet non ligari. quod ego toto corde desidero, & Deum ut ita fiat oro.

Item prædictis rationibus explicatis, dixit sic. Domini, si istæ rationes vobis sufficiunt, & habeatis me excusatum, multum mihi placet. Sin autem, ego sum inter vos, & non habeo facere nisi unam mortem. Ideo potestis mihi facere quod volueritis. Quod dictum Comitem & omnes alios multum irritavit.

Item duodecima die ejusdem mensis Brugis in refectorio fratrum Minorum loquens communitati Brugensi præsentem Comitem & ejus consilio dixit sic. Carissimi Domini, consulatis viros prudentes concives & compatriotas vestros juris ac theologiæ peritos seculares & religiosos, in his

quæ corpus tangunt & animam idoneos & expertos; & si quidem isti vobis consuluerint quòd consilium Domini Papæ non debeatis acceptare, illud recusetis securè; si verò illud acceptandum iudicaverint, illud acceptetis devotè. Videtur tamen mihi quòd Dominus Papa multùm indignabitur, & sibi magnum contemptum faciat, si illud non acceptetis. Exemplum de Achitofel. Tandem persuasionem fecit illis de Gandavo de consulendo peritos &c. Et immediatè adjunxit sic. Ego dico & determino, excludendo laicos à mea determinatione, quòd quicumque Clericus, cujuscunque conditionis aut status sit, diceret quòd consilium Domini Papæ non esset Flandrensibus ad securitatem sufficiens, talis non est dignus portare coronam; quia talis esset hæreticus & schismaticus, eo quòd ut hæreticus & schismaticus loqueretur. Super quo Dominus Robertus dixit ei sic. Domine, contra verba Domini Papæ & commissionis vestræ & vestra, dum tamen sint secundùm tenorem commissionis vobis factæ, dicere non intendo. Ex iis tamen quæ nunc dixistis, quæ non sunt in vestra commissione nec etiam de mente Domini Papæ, firmiter credo, contra personam vestram solùm agere ex iis quæ dicam intendo. Vos pluries Dominum meum & populum suum requisivistis, etiam nunc, quòd super iis quæ nobis sanctissimus pater scribit, & super iis quæ tam vos quàm vestri socij addidistis, haberent collationem & consilium, & plenè omnia discuterent cum Religiosis & Clericis jurisque peritis. Nunc autem ex verbis vestris viam eis præcluditis nobis consulendi, & per consequens nobis eorum consilium requirendi.

Item Brugis ad illos de Franco loquens dixit quòd duo filij cujusdam viri erant, & dixit pater

eorum uni, vade in vineam; qui respondit se libenter iturum, & tamen non iuit. Deinde dixit alteri, vade & tu in vineam meam; qui respondit se nunquam iturum, sed postmodum reversus ad cor, mandatum patris implevit. Sic fuit in vobis & Rege Franciæ. Vos obligastis vos ore liberaliter Domino Papæ quòd quicquid diceret teneretis & gratum haberetis. Rex verò se nunquam voluit obligare. Demum Rex dictum Papæ acceptavit, vos autem recusastis. & ita illi filio similes estis qui dixit se voluntatem patris libenter facere, & non fecit. Super quo per Dominum Robertum reprehensus fuit, asserens dictus Dominus Robertus quòd nunquam se obligaverunt, immo in hoc regalibus pares erant, & quòd per pactum expressum nulla pars tenebatur Papæ consilium acceptare, sed poterat consilium declinare. Super qua objectione se dictus magister excusare non potuit; sed tantum dixit quòd sic audiverat & sic credebat, & tunc dixit quòd credebat eis, & adjunxit: Intentio mea est dicere quòd vos usque nunc plus fecistis honoris & reverentiæ Domino Papæ quàm Rex nec regales. Et ideo si nunc acceptaveritis consilium Domini Papæ, poterit dici quòd in principio & in medio & in fine plus reverentiæ Domino Papæ fecistis quàm Rex Franciæ.

Item Iprensibus loquens dixit sic. Certissimè dico & sic teneo, & si necesse esset, me sic credere firmarem iuramento, quòd omnes illi & singuli per Dominum Comitem & communitates nuper ad Dominum Papam missi, illuc, & stando huc in redeundo, fideliter & bene & utiliter dixerunt & fecerunt quicquid ibi fecerunt & dixerunt, & huc etiam vobis veritatem retulerunt, & quando consilium acceptare noluerunt, in hoc dico

quòd bene & prudenter fecerunt, quia nec aliter facere debuerunt. Item in fine verborum suorum dixit sic. Carissimi, ego multa dixi in partibus istis. nescio qualiter acceptata sunt à pluribus. Ego mea dicta & me pono in iudicio & protectione Domini Papæ. quæ verba diffidentiam sonare videbantur. Item in finali responsione in Cortraco facta inter alia dixit prædicto magistro Petro Dominus Bauduinus sic. Domine, vos dixistis Bruggis quòd eratis inter nos, & non habebatis facere nisi unam mortem, & quòd poteramus facere de vobis voluntatem nostram. Item in Ipra dixistis quòd ponebatis dicta vestra & vos in iudicio Domini Papæ. Ista verba sonant diffidentiam. Dominus meus Comes & communitates Flandriæ volunt scire si vos habuistis causam ista dicendi. Ad quod dictus Magister Petrus respondit. Plus volo modò hîc revocare verbum quàm alibi, & simpliciter dico me malè dixisse & causam dicendi non habuisse; quia immo tam apud Dominum Comitem quàm apud communitates Flandriæ inveneramus & ab eis receperamus omnem reverentiam & honorem. Item ibidem excusavit se super iis quæ dicebatur prædicasse Parisius contra Flamingos, iterum dicens quòd sermonem illum, in quo illa quæ dicebatur prædicasse dicta fuerant, non fecerat, sed quidam frater alius de ordine suo, qui secundum iudicium suum in verbis contra Flamingos excesserat in tantum quòd ipse volebat ea dixisse contra Flamingos quæ ipse dixerat pro causa sua; & ut dicebat, si frater ille viveret, eum non nominaret; sed quia mortuus est, nominavit eum, scilicet fratrem Reginaudum Confessorem quondam Regis Philippi patris istius, & demum etiam Confessorem istius Regis; & ut dixit, ibi erant duo fratres Minores testes quòd non fece-

rat prædictum sermonem. quod utique verum erat. Sed Lector fratrum Minorum Cameraci dixit mihi fratri Stephano & Amblardo socio meo quòd ipse fecerat unum alium sermonem in quadam generali processione Parisius; in quo ipso præsentate & audiente dictus Magister Petrus prædicaverat expressè contra Flamings omnia supradicta.

Item in reditu nostro Parisius coram Rege & omnibus de sanguine Regis & aliis Consiliariis Regis volens facere relationem de his quæ inveneramus cum Comite & communitatibus Flandriæ, accepit illud thema: *Necesse est ut veniant scandala. Veruntamen va homini illi per quem scandalum venit.* Quæ verba adeo ineptè & inconsideratè profecutus est quòd nobis emissis de consilio & postmodum revocatis, Dominus de Sulhiaco de expresso mandato Regis & consensu & assensu omnium assistentium, ut dicebat, dixit sibi sic. Domine, vos dixistis hîc in præsentia Domini Regis & consilij sui talia verba in relatione vestra quæ si vos vel quicumque alius etiam Regis filius, frater, vel patruus, aut consanguineus diceret, aut assereret, & maximè in præsentia sanctissimi patris Domini nostri Papæ, Rex Franciæ reputaret ipsum suum & regni sui certissimum inimicum. Et tunc dictus frater Petrus dixit quòd hæc quæ dixerat non intendebat dicere in præsentia Domini Papæ, & dolebat se dixisse aliqua quæ possent Regi meritò displicere. Et tunc Comes Sabaudia dixit: Frater Petre, satis est. Malum fuit talia dicere, & bonum est ea non velle manutene-
nere.

Eodem die ibidem frater Guillelmus de Gandavo & frater Amblardus de Rubeomonte juramento præstito sub eisdem pœnis eisdem injuncto qui-

bus injunctum fuit fratri Stephano supradicto, de-
posuit idem frater Guillelmus sicut ipse frater Ste-
phanus. Et frater Amblardus socius ejusdem fra-
tris Stephani simili modo juratus, & sub eisdem
pœnis deposuit. Qui quidem omnes tres unani-
miter cedula[m] unam dictum eorum continentem
quam obrulerunt pro depositione eorum, cujus te-
nor in dicto fratris Stephani continetur. Hoc ex-
cepto, quod in consilio quod frater Petrus dabit
de reddendo litteras Domini nostri simul & semel
Scabinis & procuratoribus communitatum Flan-
driæ Brugis congregatis, & in resistantia fratrum
Stephani & Guillelmi quod sic non fieret, non
fuit præsens frater Amblardus de Rubeo monte so-
cius dicti fratris Stephani. Item in iis quæ fuerunt
dicta coram Rege & consilio ejus in reditu eorum
non fuit præsens dictus frater Amblardus.

Et ibidem frater Guillelmus de Gandavo de
ordine Minorum, cum per eum dictum fuisset
quod multum obfuit negotio quia sic citò reced-
ferunt, & quod multum profuisset si moram ma-
jorem traxissent, interrogatus quare dixit, respon-
dit quia quamplurimi Scabini & alij dixerunt e-
dem testi, Quare ita citò receditis, dixit, quia de-
bemus habere consilium vobiscum, & melius ire
negotium.

Interrogatus si ipse scripsit aliqua, dixit quod
ipsi omnes deliberaverunt mittere ad Comitem
quod daret eis locum & diem in quibus possent
sibi loqui ex parte Domini Papæ & litteras ei da-
re ex parte dicti Domini summi Pontificis; & ip-
se testis scripsit Confessori Comitis quod ipse
informaret Comitem ad recipiendum eos amica-
biliter, quia nihil portabant grave, sed totum pa-
cificum.

Interrogatus de vulgarifatione seu expositione

litteræ papalis in vulgari, quare difficilem se reddidit pro aliis, dixit quòd dicta eorum recitare noluit, propterea quia dictum fuit sibi quòd per unum fratrem ordinis sui, quem Bituricensis Archiepiscopus pro interprete elegerat, non bene interpretatus fuit verba sua, cum tamen communiter contrarium asseratur ab illis qui fuerunt præsentés, & etiam quia grave immo quia impossibile sibi fuisset interpretari utrosque, scilicet Magistrum & fratrem Stephanum, & etiam quia satis habebat facere de seipso ad interpretandum dictam bullam & concordare cum sacra scriptura. quod fecit in omni villa, Brugis videlicet bis, Gandavo, & Ipro.

Interrogatus si ipse remansit post alios, dixit quòd cum ordinatum fuisset inter eos quòd haberent litteras Comitis ad Dominum Papam, dixit eidem fratri Guillelmo præfatus magister Petrus quòd remaneret in Cortraco ipse pro littera illa, si possent habere à Comite; qui eam non potuit habere, sed dictum fuit sibi quòd mitterentur litteræ post se, & extunc ivit per Ipram versùs sanctum Audomarum ad Custodem Flandriæ jacentem infirmum ad mortem, cui portavit litteram ex parte Generalis, & deinde Ambianis, ubi invenit magistrum Petrum, & ivit cum eo versùs Parisius, seu veriùs usque ad sanctum Dionysium.

Item super articulo de duodecima die, de convocando consilio jurisperitorum & theologorum, istud fuit de consilio omnium usque ad verbum *siquidem*. quod autem sequitur, displicuit & ipsi loquenti & sociis, maximè exemplum.

Interrogatus si postquam fuit Parisius scripsit alicui de Francia de iis quæ fecerant nec aliquid aliud, dixit quòd non.

Interrogatus si frater Petrus concessit instru-

mentum per Notarium suum de his quæ dixerat, dixit quòd concessit, non tamen recordatur de quo plenè, exceptis rationibus quatuor quare non celebravit, de quibus petierunt in speciali instrumentum, & postea recordatus est quòd in Cortraco petierunt de omnibus, & credit quòd habuerunt.

Anno quo suprà, die secunda ejusdem mensis Iulij, præfatus sanctissimus Pater & Dominus noster Dominus Iohannes divina providentia Papa XXII. fecit ad suam præsentiam evocari religiosum virum fratrem Petrum de Palude de ordine fratrum Prædicatorum magistrum in theologia, cui legi fecit depositiones & dicta suprædictorum fratrum Stephani, Guillelmi, & Amblardi. Cui fratri Petro memoratus Dominus noster post præstitum ibidem per eundem fratrem Petrum ad sancta Dei evangelia juramentum injunxit sub virtute obedientiæ & sub pœna excommunicationis, quam tulit in eum, & cujus absolutionem sibi & successoribus suis præterquam in mortis articulo reservavit, si non diceret veritatem, ac etiam sub virtute præstiti juramenti, quòd super præmissis dictis & depositionibus ipsorum fratrum & super aliis negotiis eidem fratri Petro & præmissis fratribus Minoribus commissis tangentibus puram & meram diceret veritatem. Qui quidem frater Petrus auditis dictis & depositionibus dictorum fratrum Minorum, dixit & respondit in modum qui sequitur.

Ad primum articulum, quo imponitur sibi quòd coram Comite in Cortraco dixit de differentia monitionis & admonitionis &c. respondet quòd illam differentiam bene posuit quantum ad sententiam, esse non ferè quantum ad verba. Quantum autem ad applicationem ad propositum, dixit quòd verba eorum, loquens pro se & pro sociis, non erant monitio
terribilia

terribilis quasi tonitruus ad fulgur, sed admonitio amicabile, suggestio & exhortatio rationalis secundum industriam à Domino sibi datam, quia nullas sententias volebat nec etiam poterat fulminare. Quòd autem Dominus noster ex monitione vel admonitione qualicunque aut ex suis monitionibus in litteris suis ad illos contentis non possit etiam justè contra eos ad sententias procedere, non dixit, sed potiùs dixit oppositum in detegendo finalem intentionem Domini nostri, ubi bulla dicit, *in auxilium efficax exurgamus per omnes vias & modos spiritualiter & temporaliter &c.* ubi dicit idem magister Petrus quòd ex quo Dominus Papa, ad quem summè pertinet de perjurio judicare & ipsum per censuram ecclesiasticam punire, assererat & affirmabat non consulendo, nec per modum consilij, sed determinando per modum declarationis dubij, ipsos non posse derogare conventionibus juratis, qui in religione jurisjurandi in eorum anima præstiti perstiterant, ex ista transgressione juramenti, si contra conventiones juratas guerram apertè facerent, justè excommunicari possent, maximè ab illo qui aliàs in suis processibus juris positivi monitionibus non arctatur. Item quia idem Dominus noster in eadem bulla declarat & determinat ipsos impedire passagium terræ sanctæ, si ex eorum culpa residuum guerræ processerit, ex hoc etiam impedimento causæ Dei possent justè contra eos sententiæ fulminari. Confiteatur autem se dixisse quòd commissio eorum non imponebat eis facere monitionem juris nec canonicam, sed monitionem exhortatoriam tantum, ex quo non solet immediatè sententia excommunicationis proferri; & ideo verba eorum tanto erant affectuosius recipienda quanto erant medicinalia & non mortalia. Hæc autem dixit

idem frater Petrus se dixisse, non ut venenum poneret in cordibus eorum, ut sibi imponitur, sed ut per hæc verba dulcia magis eos corrigeret in spiritu lenitatis quàm obduraret in virga terroris: quia condictum erat inter tres nuntios deliberatione communi ut quantum conscientia pateretur, uterentur verbis moderatis, & abstinerent à minis, quia per minas Flamingi imperterriti credebantur magis exacerbari & in malitia obdurari. Item omnes tres nuntij timebant, ut dicit, ne si Comes in litteris communitatum clausis putaret sententias contineri, eas intercepisset, nec eas tradi communitatibus permisisset. Et propterea credit idem frater Petrus quòd in Duaco, cùm conferret cum duobus sociis suis de his quæ dicere coram Comite & communitatibus intendebat, inter alia proposuit istum articulum de quo est sermo; qui & consenserunt, ut sibi videtur, quòd omni illo modo proponeretur quo à fratre Petro fuit propositus.

Ad secundum quod dicitur idem replicasse Bruggis ad illos de Franco, confitetur illo modo & illa intentione quibus suprà, addens quòd si quis sibi super hoc priùs oculos aperuisset, non irasserit stultitiam suam, nec secundo apertis oculis cecidisset. Vnde cùm postea frater Stephanus sibi dixisset quòd fortè Dominus noster intendebat quòd ista exhortatio nostra esset talis monitio quòd ex illa, sive post illam, sive alia quacumque ad sententias, nisi acquiescerent, procederet, ex tunc idem magister Petrus videns periculum, nihil simile replicavit, ut credit.

Ad illud quod tertio dicitur de honore pacis & guerræ, totum simpliciter confitetur se dixisse, ut homines inanis gloriæ cupidos magis per hoc attraheret ad pacem. Dixit tamen se adjunxisse,

quod amici sui tacuerunt, quòd nisi nunc pacem firmarent iuxta formam consilij à Domino nostro summo Pontifice sibi dati, nunquam tam honorabilem nec tam utilem pacem in perpetuum obtinerent. Et dixit se dixisse eidem Comiti quòd cùm totum reliquum regni Franciæ esset pacatum, ipso ferè solo cum suis excepto, cùm esset Par Franciæ & vassallus coronæ, infideliter valde ageret si pacem regni diutiùs perturbaret. Et quia per hoc terræ sanctæ passagium impeditur, sicut à tota Christianitate usque hodie maledicuntur illi propter quorum discordiam adinvicem fuit perdita terra sancta, quia Christianis dissidentibus non potuit unanimiter defensari, ita ipse Comes & sui deberent hodie à tota Dei Ecclesia maledici, si guerræ occasionem præbendo impedirent, ut dictum est, passagium terræ sanctæ.

Ad id quod quartò dicitur, quòd Brugis coram Comite & consilio & procuratoribus villarum voluit & consuluit &c. respondet quòd nunquam nec ibi nec alibi voluit nec consuluit simpliciter quòd simul litteræ redderentur, immo cùm magister Baldoinus proposuisset coram tota illa multitudine, dicens ad ipsos nuntios ex parte dicti Comitis, Domini, vos petivistis à Domino meo exhiberi vobis communitates villarum suarum ad mandata apostolica exequenda, ecce habetis coram vobis de singulis villis procuratores, Consiliarios, & Scabinos, dicite & facite quicquid vultis, idem magister Petrus, ut dixit, statim sociis etiam inconsultis surrexit & dixit quòd non recusabant loqui præsentibus, sed tali locutione & actione in communi non essent contenti, quia nec per hoc exequerentur formam mandati ad intentionem mandantis, tum quia mandabat eis personaliter accedere ad communitates, non ad duos vel

tres de illis, tum quia litteræ destinabantur, non ad solos Scabinos, Consiliarios, & Burgomagistros, sed ad quamlibet communitatem cum hoc de Brugis pro se, de Franco pro se, de Ipra & de Gandavo similiter. Vnde quamlibet communitatem pro se volebant adire personaliter, & unicuique suas litteras præsentare, & debitam exhortationem adjungere, & quòd ipse Comes, si in hoc eos impediret & mandatis apostolicis resisteret, & præter hoc populum suum turbaret non immeritò, si non permetteret eos videre & audire nuntios & monita sanctissimi patris sui. Propter quæ verba credit idem frater Petrus obtinuisse in hoc se & alios nuntios quòd petebant. Vnde idem magister Petrus miratur, ut dicit, de illa resistentia sociorum in consilio hujus facti, in quo locutus est, ut dictum est, sociis inconsultis; nec unquam audivit, ut dixit, inter eos fieri quæstionem utrum litteræ simul & semel deberent reddi procuratoribus villarum sive communitatibus, supposito quòd ad illas posset haberi accessus; sed bene credit quòd quia Comes in Cortraco pluries requisitus ut exhiberet ipsis nuntiis communitates illas quatuor ad quas mittebantur singulas in locis propriis, more quo solent ad talia convocari, noluerit adhuc eisdem nuntiis concedere quòd petebant, timètes ne à Comite prohiberentur à prædictis in illo casu ubi non possent communitates haberi modo debito & optato, adinvicem aliquando contulerunt quid magis expediret in illo casu, an bullas communitatum Domino nostro integrè reportare, an eas ipsis communitatibus mittere procuratores & majores eorum qui haberi poterant, cum essent tunc Brugis propter aliud congregati vel in proximo congregandi. Et bene credit idem frater Petrus quòd ipse fuerit illius opti-

nionis, sive verè sive falsò, quòd in casu illo ubi non possent per se ipsos dictas communitates alloqui nec eis tradere litteras supradictas, minus malum erat eas eis mittere per nuntios earum, quia nec ausi fuissent pro capitibus suis eas suis communitatibus celare vel abscondere, & quia ipsæ litteræ per se sine verbis nostris satis persuadere & sufficere credebantur. Possibile est tamen quòd socij sui fuerint opinionis contrariæ, scilicet quòd in illo casu melius erat litteras reportare.

Ad id quod quintò dicitur *Item eadem die coram predictis &c.* confitetur totum usque ibi, *Prima talis est &c.* Excepto quòd dicitur sibi impostum quòd prædicaverat de armis contra Flamingos. de quo postea dicitur.

Ad primam excusationem de quatuor quam dicunt eum assignasse, respondet quòd quantum ad suam excusationem, eam proposuit ex dictis Flamingorum, arguens contra eos, non illis verbis, nec illo sensu, sed asserendo sententias latas & per Prælatos denunciatas & divulgatas, & ex alia parte appellationem interpositam à Flamingis, non dicendo nec asserendo, absit, quòd appellatio illa de jure suspenderet effectum sententiæ jam latæ, licèt publicationem vel denuntiationem præcederet, vel quòd contra sententiam papalem præcedentem vel sequentem appellatio quicquam proficit, nec asserendo quòd ipsi bona conscientia possent audire vel celebrare divina publicè, cum in sequentibus dicat se non esse certum, sed dubium. sed quia cessante causa finali & totali, cessat effectus, arguebat eis sic ex dictis. Vos Flamingi dicitis quòd vobis licitum est non servare interdictum propter hoc solùm quòd omnes appellastis, vel appellantis adhæstis, & Dominus Papa, ut dicitis, appellationem recepit & auditorem

dedit, & nullam causam aliam allegatis. Ego autem, qui nec appellavi nec appellantis adhæsi, non possum me defendere scuto vestro, & per consequens teneor servare interdictum, dato quod vos non teneremini, sicut dicitis; nec unquam intellexi quod ista ratio concluderet ad rem, sed tantum ad hominem. Nec in ista excusatione nec in sequentibus unquam dixit assertivè & secundum veritatem eos esse simpliciter excusatos, sed solum secundum dictum & opinionem eorum. Cetera in excusatione posita confitentur.

Ad secundam rationem respondet confitendo se dixisse quicquid ibi dicitur, excepto illo quod ponitur ibi *solum*, & addendo quod in casu dubij dixit denuntiatum per Curatum proprium à parochianis ejus debere vitari. Item addendo quod alij de alienis parochiis, quibus denuntiatio non est facta, nec aliter sciunt ipsum excommunicatum, & maximè si sciunt ipsum non esse. Item excepta ratione quæ ponitur ibi, quod non tenetur quis credere nisi proprio sacerdoti, quam rationem nunquam posuit, & eam dicit esse falsam. Item excepto quod ibi dicitur, quod absolute illi de Flandria servare non tenentur interdictum, & bona conscientia possunt audire & celebrare divina. quod nunquam dixit, nisi sub illa conditione, si denuntiatio ad eos nullatenus pervenit, & ipsi sint certi, ut asserunt, quod sententia eos non ligat.

Ad tertiam excusationem quæ sibi imponitur respondet confitendo se dixisse totum usque ibi, & certi sunt quod Clericum non percussit, ubi addidit, *vel certi sunt quod percutiendo in casu licito sententiam non incurrit, non tenentur eum vitare &c.* Item confitentur se dixisse illud quod sequitur, *Nunc ita est &c.* usque ad finem rationis, ad

dendo post illud quod dicitur *lata sunt*, & quod *illa sententia realiter illos ligant*. Item addendo post illud, *Domini Pape expecto*, propter hoc quod *vos dicitis appellationem ab eo receptam*. Item post illud, *injustè latas esse*, addidit, *ut dicitis*. Item post illud *eas non tenemini servare*, addidit *si verum est quod dicitis*.

Ad quartam excusationem quæ sibi imponitur respondit quòd nihil tam ridiculum nec tam derisorium nec ei simile allegavit, sed secundùm veritatem sua quarta excusatio talis fuit. Dixit enim quòd secundùm jus, ubi ex probabili causa oritur dubium de aliquo actu utrum possit licitè an non licitè exerceri, siquidem ille actus est aliàs impedimento cessante liber & voluntarius exercenti, tunc debet ille actus propter dubium intermitteri; si autem ille actus aliàs cessante impedimento sit necessarius & debitus, tunc non debet propter dubium denegari; sicut conjunx probabiliter dubitans de impedimento matrimonium dirimente, non debet petere sed reddere debitum conjugale. Unde cùm mihi dixit idem frater Petrus, dubium possit esse & probabiliter utrum de jure sitis ligati, vos Flamingi, illis sententiis de quibus queritur, tum propter contrarietatem opinionum peritorum de Francia ex una parte dicentium vos realiter esse ligatos, & peritorum de Flandria dicentium oppositum, tum propter appellationem vestram à summa sede receptam, ut dicitis, in qua negatis vos Regi guerram movisse, in quo solo casu, ut dicitis, sententiæ vos ligabant, ego, qui sic dubius eram, nec eram aliàs ad celebrandum Flamingis obligatus, in tali dubio potui immo debui potius abstinere. in quo casu Curatus Flamingus, qui aliàs teneretur Flamingis suis divina celebrare, si talem probabilem dubitationem & non aliam

debitam certitudinem de ligamine subditorum haberet, & multò magis si certus esset ipsos de jure in nullo fore ligatos, non deberet in tali casu subditis divina denegare.

Ad illud quod sequitur de sermonibus Parisiensibus *Ad secundum quod mihi objectum est &c.* respondit confitendo quantum ad sensum satis, et non quoad verba totum usque ibi, *Item duodecima die ejusdem mensis*, exceptis quæ sequuntur. Primò, quod dicitur de licentia movendi guerram contra Flamingos, non videtur sibi quòd fuerit sibi impositum quòd æquè licitum esset facere guerram Flamingis sicut Sarracenis, nec per consequens quòd hoc ibi negaverit, cum contra fideles possit esse justum bellum ex aliis causis sicut contra infideles, adversus quos sola infidelitas in illis qui se ad fidem non astrinxerunt non potest parere justum bellum; sed imponebatur ei quòd ipse prædicasset quòd æqualem indulgentiam habebant facientes guerram Flamingis sicut facientes guerram Sarracenis ob defensionem vel recuperationem terræ sanctæ; & hoc ipse negavit se prædicasse, & dixit quòd si prædicasset, tamquam falsum & mendacium revocaret; quia adhuc non audivit nec credit quòd aliquis summus Pontifex dederit indulgentias euntibus contra Flamingos, sicut sunt datæ frequenter contra Sarracenos invadentes vel tenentes indebitè terram sanctam; non autem unquam dixit esse hæreticum dare indulgentias contra Flamingos in casu ubi Ecclesiæ rebellarent, sicut contra aliquos Christianos schismaticos aliquando bene & sanctè noscitur esse factum, & sicut ipsemet frater Petrus eis dixit quòd pro impedimento passagij, quod præstant, si guerram renovant, aut pacem non firmant, posset contra eos licitè transmarina indulgentia concedi. Item quod

sibi imponitur quòd simpliciter negavit se prædicasse aliquando Flamingos esse excommunicatos, dixit quòd non negavit hoc, ut dicitur, sed negavit prædicasse se determinando assertivè quòd essent ligati de jure illis sententiis prolatis & divulgatis, cum ad ipsum non pertineret hoc determinare &c. sicut ibi. Optabat autem ipsorum innocentiam magis quàm culpam, si esset possibile, reperiri, maximè amore fratrum sui ordinis ibidem non servantium interdictum; quibus condolendo, timet ne propter hoc irregularitatis notam & suspensionis & excommunicationis sententias incurrerint ipso facto. De hoc quod sibi imponitur quòd dixit quòd non habebat pati nisi unam mortem, & cetera quæ sequuntur, credit bene quòd aliquid simile dixerit, sed non videtur sibi quòd propter aliquid quod tunc dixerit Flamingi fuerint irritati, immo magis contrarium, quia certus est quòd multi ad compassionem fuerint moti, & ferè ad lacrymas, etiam de illis qui primò videbantur frendere dentibus in ipsum, videntes & audientes ipsum in conspectu tantæ multitudinis sic contumeliis affici & non habere consolatorem nec defensorem alium nisi Deum.

Ad illud quod postea dicitur *Item duodecima die ejusdem mensis &c.* de peritis in theologia & jure canonico consulendis, addidit quòd sicut Dominus noster in tanta re non fuerat innisus prudentiæ suæ & scientiæ, quibus floret & claret, sicut notum est toti orbi, nec fuerat contentus communi & consueto consilio Cardinalium, inter quos sunt de peritioribus & prudentioribus hominibus hujus mundi, sed voluerat super hoc adhibere consilium omnium peritorum de curia & notabilium personarum, ita & ipsi non debebant in hoc facto, quod tangit conscientiam & jus cano-

nicum & divinum, esse contenti solo consilio laicorum nec etiam legistarum, sed peritos juris canonici & divini, maximè religiosos, ad hoc consilium convocare, & omnibus bullis & rationibus ipsorum nuntiorum eis fideliter expositis, & etiam securè rationibus contrariè opinantium, facerent eos jurare quòd timore & amore postpositis, solum Deum præ oculis habentes, consulerent eis quid magis expediret, utrum consilium Domini nostri simpliciter acceptare & pacem firmare, an ipsum refutare & pacis fœdus initum violare. Et quidam, inquit, consulant vobis id ipsum quod Dominus noster, tunc nullum colorem habetis quàm utrique & concordi consilio acquiescere debeat. Si autem consulant vobis oppositum, & velitis illorum consilium magis sequi quàm consilium summi patris & Ecclesiæ Romanæ, tunc certè magis eritis excusati quàm si hoc faceretis de proprio capite vel solo consilio laicorum. Hoc autem dixit quia certus esse credebat saltem de Prædicatoribus & Minoribus quòd nunquam eis consulerent contra Papam. Quod autem ibidem ei imponitur quòd ubi illi consulerent consilium Domini nostri refutando, quòd tunc illud recusarent, securè dixit quòd istud vel simile nec credit nec recolit se unquam dixisse, sed certus est se in prædicatione Gandensi contrarium affirmasse ac etiam astruxisse dicendo quòd ubi summus Pontifex & Ecclesia Romana simul aliquid assereret, si omnes aliæ Ecclesiæ mundi contrarium assererent, magis esset Romano Pontifici & Romanæ Ecclesiæ credendum quàm toti orbi reliquo contrarium asserenti, comparans Romanam Ecclesiam civitati synagogæ quæ dicebatur Abela & mater civitatum in Israël, de qua II. Regum xx. dicebatur in veteri proverbio: *Qui interrogant, interrogent*

Abela, & sic perficiebant; id est, qui quæstiones & dubitationes habebant, peritos civitatis illius consulebant, & veritatem ab eis inveniētes acquiescebant, nec ultrà consilium aliud requirebant. Ad illud de Achitofel, confitetur se illud exemplum etiam bis induxisse; sed si prima vice fuisset sibi dictum quòd exemplum reciperetur in malo ab illis qui sicut de malo accusant, non replicasset secundo. Dixit tamen quòd nec primò nec secundo induxit exemplum illud pro simili, quantum ad ea quæ in Achitofel erant reprehensibilia, sed sicut Gregorius per David interficientem Vriam & desponsantem Bersabee intelligit Christum diabolum prosternentem & sibi Ecclesiam de gentibus copulantem, quantum ad similitudinem facti, non peccati, quia quod fecit David crudeliter & immundè, hoc Christus fecit piè & sanctè, ita quantum ad hoc comparavit solummodò consilium Achitofel datum Absalon consilio Domini nostri dato Comiti Flandriæ & Flamingis; quia sicut consilium Achitofel, quod dabat in diebus illis, erat quasi si quis consuleret Deum, & consilium illud dicitur fuisse utile illi cui dabatur; unde quia non acquievit, perdidit vitam & etiam principatum; & sicut Achitofel fuit multum turbatus ac etiam dedignatus videns suum consilium utile derelictum, ita etiam consilium Domini nostri, qui est os & vicarius Dei in terris, debet sicut Dei consilium reputari, & erat utile & salubre Comiti & Flamingis, propter quæ, si ipsum refutaverint, debet meritò indignari, & infortunium Absalon erit eis verisimiliter formidandum; & quamvis tunc non fuerit dictum, nunc tamen videtur impletum, quòd Domini nutu dissipatum est consilium Achitofel utile, ut induceret Dominus super Absalon malum. Flamingi enim Dei misericordia

indigni, & ejus justitia, ut videtur, exterminandi, nunc guerram faciendo consilium Dei spreverunt in semetipsis, & consilium altissimi irritaverunt in malum suum, & non utinam nisi suum. Quantum igitur ad has similitudines comparavit Dominum nostrum Achitofel in bono, non autem quantum ad malas ipsius condiciones, quæ absint & absunt veraciter & totaliter à Domino & sanctissimo patre nostro.

Ad illud quod postea dicitur de Clericis consulendis, & quod consulens aliter esset hæreticus & schismaticus, respondet quod non est verum sub forma qua ponitur, sed verum est quod dixit quod postquam Papa ut Papa & Ecclesia Romana ut sic ex certa scientia & deliberatione declaravit aliquod dubium seu determinavit aliquam quæstionem, extunc non licet alicui contrarium opinari, immo asserens contrarium declarationis Ecclesie Romanæ pertinaciter in materia fidei est hæreticus; in materia verò juris, schismaticus. Vnde cum Dominus Papa loquens non ut Iacobus, sed ut Papa, de consilio & assensu omnium officialium, non consulendo, nec per modum consilij, sed asserendo & affirmando, declarans & determinans dubium, quod erat quæ securitates de jure deberent sufficere, dicat in bulla per securitates à se consultas & à regalibus oblatas securitati Flamingorum abundantissimè esse provisum, & eodem modo dicat & asserat Flamingos sine perjurio non posse venire amodo contra conventiones juratas, Rege suum debitum faciente, Clericus ignorans jura in quibus versatur, prædictis apostolicis declarationibus contradicens, esset indignus ecclesiastico beneficio & corona.

Ad objectionem autem Domini Roberti respondit tunc idem frater Petrus quod propter illa vet-

ba non debebant ipsi fugere sed magis quærere consilium Clericorum, nec Clerici debebant propter illa verba trepidare eis consulere veritatem; quia cum soli periti juris canonici & divini sciant perfectè consulere de prædictis, aut ipsi in quod sentiunt, quod ego dico verum, & volunt mecum consulere veritatem, & tunc propter hoc consilium eorum non est fugiendum, sed maximè requirendum, quia in consilio non debet homo dicere *Loquimini nobis placentia*, sed quærere veritatem; & è contrario in dando consilium debet homo habere præ oculis veritatem, non per trimestre principatum, nec benivolentiam captare, aut ipsi sentiunt quòd ego dico falsum; & tunc non est verisimile quòd propter verba inania unius pauperis mendici ipsi contra conscientiam deviant à tramite veritatis. & sic idem quod priùs. Cetera in articulo contenta confitetur usque ibi, *Item Brugis ad illos de Franco.*

Ad illud quod postea sequitur *Item Brugis ad illos de Franco &c.* respondet quòd nunquam dixit Flamingos se obligasse ad sequendum consilium Domini nostri plusquam regales, licèt hoc Dominus Robertus sibi imposuerit, qui malè eum intellexerat; quia hoc expressè continebatur in littera consilij quam idem frater Petrus specialiter quoad articulum de non obligando se ad sequendum consilium sæpe exposuerat coram eis, sed bene dixerat quòd Flamingi obtulerant se ad obligandum se de consilio sequendo, & non solùm requirendo, quod regales facere recusarunt, qui tamen postea consilium acceptarunt. Vnde adhuc stabat similitudo de filiis, quòd Rex qui patri spirituum minus obtulerat verbo, nunc plus obediebat facto, si tamen ipsi præfatum consilium refutarent. Dominus autem Robertus etiam illam obla-

tionem & non solùm obligationem negavit, dicens quòd bene obtulerant & semper offerebant se facturos illud quod Dominus Papa tamquam verus & justus iudex Christianorum decerneret sententiando & diffiniendo, non autem consulendo seu aliter ordinando; per regales autem, qui subire iudicium recusabant, & per Dominum Papam, qui pluries requisitus noluit se intromittere tamquam iudex, steterat quòd super iis non fuerat iudicatum. Ad quæ frater Petrus Dominum Papam excusans, vel tunc vel in Ipra dixit quòd cum pars Regis non esset citata ad respondendum judicialiter, nec vellet sponte de gratia respondere, Dominus Papa non poterat pro tunc salva iustitia processum ordinarium inchoare. Oblationem autem quam Dominus Robertus negabat, quam idem frater Petrus nesciebat nisi ex auditu dixit quòd sic audiverat & sic credebatur. Dixit etiam quòd in quantum Flamingi voluerunt subire iudicium Papæ, & non regales, item in quantum voluerant se obligare ad sequendum consilium, ut audivit, quod noluerunt regales, si cum istis duobus sicut regales consilium acceptarent, tunc in hoc facto & non in aliis plus quàm Rex Romanæ sedi honoris & reverentiæ detulissent. Cetera præmissis non contraria in articulo contenta usque ibi, *Item Irensibus loquens dixit &c.* credit esse vera.

Ad illud quod sequitur, *Item Irensibus loquens dixit &c.* usque ibi, *Item ibidem excusavit se,* respondet omnia confitendo, excepto eo quod dicitur in penultima linea, *plus volo revocare verbum hic quàm alibi, & simpliciter dico me malè dixisse & causam dicendi non habuisse.* Hæc enim non credit aliquo modo se dixisse; sed confitendo quòd posuit se in protectione Domini Papæ, quod alius

vocabat verba diffidentiae, dixit quod aut habuerat justam causam timendi & illa verba diffidentiae proferendi, & tunc reprehensibilis non erat, aut non habuerat justam causam, & sicut malè & fatuè dixerat. Utrum autem habuisset justam causam aut non, dicere volebat, malens ab hominibus fatuus reputari quàm homines accusare.

Ad illud quod sequitur, *Item ibidem excusavit se &c.* usque ad finem, confitetur omnia quantum ad sensum & sententiam verborum vel propè, exceptis iis quæ sequuntur. Primò salva reverentia Lectoris Cameraci fratrum Minorum, idem frater Petrus nunquam in quacumque processione nec aliàs prædicavit contra Flamingos illa quæ sæpius negavit. Item quod dicitur postea quod Dominus de Solhiaco dixit ei quod talia verba dixerat &c. non est ita, salva reverentia dicentis; sed dixit sic. Vos sentitis vel videmini sentire quod Rex habeat injustitiam in guerra contra Flamingos, quod quicumque Domino Papæ referret, reputaret eum inimicum suum &c. sicut ibi. Tamen reputabat bona fide fuisse dictum. Ad quod frater Petrus respondit quod non sentiebat nec unquam senserat, salva reverentia dicentis, quod Rex haberet injustitiam vel etiam habuisset, sed ipse recitaverat verba Flamingorum hoc dicentium, sicut David recitat quod dicit insipiens in corde suo, Non est Deus; qui recitando, non sentiebat cum eo. sed verum est quod Episcopi præsentés dixerunt quod verba thematis & prosecutio hoc aliquantulum innuere videbantur; & frater Petrus dixit quod n sibi videbatur, & uso intentione ambigua licuit incontinenti maximè declarare. De iis autem quæ sequuntur bene credit se dixisse quod non intendebat in præsentia Domini Papæ aliqua dicere quæ ipsum contra Regem de-

berent provocare, sed intendebat facere relationem Regi utilem, quantum conscientia pateretur, & si dixisset aliqua hic vel alibi quæ Regi deberent displicere, multùm doleret. Quod autem subiungitur quòd Comes Sabaudiaë dixit, Frater Petre, malum fuit talia dicere & bonum est ea nolle manutenere, credit idem frater Petrus similiter esse falsum; nisi fortè referatur ad verba Flaminiorum, quæ & ipse frater Petrus reputat esse mala, nec unquam ea voluit sustinere.

Addit etiam idem frater Petrus quòd licet circa prædicta & plura alia peccare potuerit aut etiam peccaverit ex inadvertentia aut ignorantia aut timiditate, non tamen est sibi conscius quòd in tota legatione sibi commissa ex certa scientia vel malitia aliquid dixerit vel fecerit vel omiserit contra intentionem mittentis, vel quòd in responsionibus supra positis aliquod falsum scienter vel malitiosè interseruerit, sed fideliter & veraciter juxta conscientiam suam & intentionem quam in dicendo ea habuit, deposuit supradicta.

Post quæ die Iulij anno dicti fratres Stephanus, Guillelmus, & Amblardus de ordine Minorum repetit præfarum Dominum nostrum sub pœnis & juramento quibus supra, lectaque eis responsione fratris Petri de Palude supradicti, dixerunt super primo capitulo quòd nihil mutant de dicto suo, & negant quòd ibi dicitur. De intentione verò dicti fratris Petri nesciunt, sed ita dixit, nec audiverunt illa verba de tonitruo &c. quòd recordentur.

Super secundo stant similiter dicto suo.

Super tertio & quarto articulis, stant in depositionibus suis, adicientes quòd ipse frater Petrus, cum essent Brugis, & essent vocati per Comitem, dictus magister Petrus venit ad domum fratrum

Minorum,

Minorum, & vocatis ad partem dictis fratribus Stephano & Guillelmo, dixit eis quod Comes petebat quod litteras Domini nostri omnes redderemus Scabinis, Procuratoribus, & consiliis omnium communitatum & villarum Flandriæ in domo Comitis congregatis, & addidit quod hoc sibi bonum videbatur. Cui cum uterque dixisset nullo modo esse faciendum, & per istum modum nullo modo implemus Domini nostri mandatum, cum litteræ essent singularium communitatum, sicut ex earum superscriptionibus apparebat, dictus frater Petrus arguit dicens, Immo implemus mandatum Scabini &c. representabant omnes communitates prædictas, quibus dictæ litteræ mittebantur Tunc frater Stephanus supradictus respondit sibi: Magister Petre, ego habeo istas litteras, & nunquam isto modo reddam eas nisi de manibus meis propriis rapiantur, etiamsi propter hoc mori deberem. Tunc dictus magister acquieuit; & quando fuit coram Comite & Scabinis &c. Dominus Balduinus proposuit verba quæ dixit magister Petrus. Et tunc frater Stephanus dixit magistro ad aurem: Surgatis magister. & magister surrexit, & dixit sic. Super hoc quod à nobis petitis, nos inter nos habuimus collationem, & alia dixit magister Petrus valde bene.

De prima excusatione de quatuor stant similiter primo dicto suo, & addunt quod Flamingi multum gavisæ fuerunt, & magister Balduinus petiit instrumentum exinde sibi fieri, & in Contracto repetiit idem ab eodem magistro Petro quod possent habere instrumentum per Notarium eorundem fratrum. quod concessit idem magister Petrus. Qui quidem Notarius remansit instrumentis eisdem.

N

De secunda ratione substantia dicto suo de verbo non

De tertia stant similiter dicto suo, nec audiverunt quòd adderet illas additiones.

Super quarta stant similiter dicto suo.

Super alio articulo stant dicto suo, & addunt quòd nunquam audiverunt contumeliam aliquam sibi dictam nec irrogatam tunc in illa communitate.

Super alio verò stant dicto suo, hoc adjecto, quòd cum dixisset verba illa *recusetis secure*, adjunxit, *tunc habebitis majorem excusationem*, confitentur illud quod est in fine de auctoritate.

De quinto stant similiter dicto suo, & quòd posuit exemplum de Achitofel, & fuit populus indignatus, quia suspendit se; de reliquis verò nihil dixit.

Super aliis stant per omnia dictis suis.

Anno Septembris Sanctissimus in Dominus summus Pontifex suprad. ad suam præsentiam fratrem Petrum de de ordine Prædicatorum magistrum in theologia; & recepto ab eodem corporaliter ad sancta Dei evangelia juramento, ipse Dominus noster interrogavit eundem fratrem Petrum per ipsum juramentum de omnibus verbis & factis in legatione Flandriæ sibi impositis, utrum illa dixisset aut fecisset intentione impediendi pacem vel indurandi Flammingos in sua malitia aut quacunque alia mala voluntate contra intentionem ipsius Domini nostri mittentis, seu in præjudicium Regis & regni Franciæ. Qui respondit sub virtute præstiti juramenti quòd certus erat, & super hoc de scientia depo-nebat, quòd nec in illis verbis aut factis nec in quibuscunque aliis in Flandria per eum dictis aut

factis publicè vel occultè nunquam habuit talem intentionem nec tam reprehensibilem voluntatem. addens nihilominus & deponens de credulitate, quòd certus erat per credulitatem quòd nunquam toto tempore vitæ suæ aliquid tale fuerat machinatus, nec cum deliberatione & consensu nunquam simile cogitavit. Testes Dominus Guillelmus Sabinenfis Episcopus & frater Henricus Magister ordinis Prædicatorum.

LITTERÆ IOHANNIS XXII.

Papæ quibus fratri Michaëli Monachi ordinis Minorum committit causam quorundam fratrum Minorum non bene de fide sentientium.

Iohannes Episcopus servus servorum Dei dilecto filio fratri Michaëli Monachi ordinis fratrum Minorum, Inquisitori hæreticæ pravitatis in Provincia ac Forqualquerij Comitatus, necon & in civitatibus, terris & locis infra Arelatensem, Aquisensem, Ebredunensem, & Viennensem provincias consistentibus auctoritate apostolica constituto salutem & apostolicam benedictionem. Super omnia desiderabilia cordis nostri fidei catholice continuum incrementum intensioribus desideriis cupientes, gravi nimirum dolore torquemur cum audimus aliquos vel sentimus ad depressionem illius qualicunque malignitatis astutia vel colore satagere aut ei detractionibus vel commentis mendacibus derogare. ad quorum iniqua sternenda molimina eò ferventiùs nostra suspirat intentio quòd perniciosiùs in animarum stragem perversis conatibus machinantur. Nuper siquidem non

An. 1317.